

Appendix ad Ephemerides Latinas

Nro. 6.

*Completens Physico - Oeconomica.**De modo conservandi in longius tempus bulbos Solani tuberosi.*

Nulla jam hodie Regni etiam Hungariæ plaga Solani expers est. Neque in hortis tantum, qui dapes præbent, & quotidiani Vitæ sumptus levant, utilissimus Solani fructus colitur; sed & plagæ integræ, spatiosaque terrena eodem consita multis in locis visuntur. Mira profecto rerum conversio; quod fructus, cujus cultura & usus parum commendatus, imo initio despiciatui habitus, vix triginta annis ab eo, quo primum apud nos plantari cœperat, tempore evolutis tantam gratiam emeruerit; ut multis in deliciis, plerisque primæ necessitatis alimentum evaserit. Quantum vero ejus pretium sit, vel inde metiri licet, quod rariores in Europa clades famis sint, ex quo fructus hic communis reddi cœpit. Quapropter etiam primi, quicumque illi fuerunt, a quibus septentrionalis Americæ fructus iste in Europam illatus, ac propagatus est, multo majus generi humano commodum præstiterunt, quam celeberrimi Orbis domitores. — Quod Bonum, quod utile vi-

detur, nunquam satis repeti potest. Quamvis igitur (pag. 157. Append. Oecon. Phys. a. 1804) methodum Anglorum, conservandi hyeme tubera Solani jam docuerimus, nihil tamen superflui nos dicturos arbitrabamur, si aliam quoque ad eundem assequendum scopum pro communi bono adduxerimus. Imo eandem tanquam surame proficuum omnibus, quibus commodi publici ratio cordi est, quive futurorum non penitus incurii de crastino quoque nonnunquam solliciti vivunt, fidenter commendare audemus, utque aliis quoque exemplo, ac auctoritate sua illam persuadeant, vehementer cupimus. Porro asservandi sine noxa in longius tempus fructus Solani modus hic est: Ante omnia tubera Solani, facta eorum in aqua munda ablutione, ab adhærentibus terreis particulis liberentur; tum detracta exteriori, qua vestiuntur, cuticula, in frustilla paulo minora tusione redigantur, quae dein imposita sacco e grossiore tela, cujus usus pressionis olei tempore esse solet, prelo subjiciantur; ut omnis humor extorqueatur. Subductæ postea e Torculari offæ in frustilla discerpantur, atque moderato calori e. g. furni post exemptum panem, vel radiorum solis siccationis gratia exponantur. Arida hæc Solanorum medulla pluribus annis in usum asservari potest; quin putredine corrumpatur, aut mucidine inquinetur, vel ingrato quopiam sapore vitietur. Imo exploratum jam est, eandem per maria ad Indias usque devectam, inde-



que rursus in Europam reductam, ab omni vitio immunem conservatam fuisse. Neque liquor, qui e fructibus Solani exprimitur, tanquam inutilis est effundendus; ille enim cum aqua fontana paris quantitatis commixtus, post dies aliquot subtilem candidissimamque feculam præcipitat, quæ ab aqua separata & siccata, farinæ instar placentis, amylo, aut pulveribus cypriis conficiendis adhiberi potest. Lugduni Gallorum, & Genevæ tam e medulla Solanorum, quam e fecula ejusdem eximii saporis cibi varii generis adparantur.

*Dolia conservationi Vinorum idonea reddendi
methodus egregia.*

Ut Dolia pro recipiendo, & in vetustatem servando Vino idonea reddantur, sequens eadem præparandi methodus suadetur: Dolia vacua primum infusa fervente aqua exurantur; quod ut in singulis dolii partibus æquabiliter fiat, frequens peragitatio, & volutatio ejusdem non est intermittenda. Effusa evolutis horis aliquot eadem jam tepida aqua, rursus alia recente frigidaque probe eluantur; tum, orificio deorsum spectante, ad eum locum reponantur, ubi nihil alieni, & ingrati redolet; ut & humor omnis per orificium effluat, & commundata dolia assiccantur. His peractis, medicamentum (Einschlag) constans lamella sulphurata, volumine suppari monetæ argenteæ 17 cruciferorum, vasi contribuat, id est; incensa eadem lamella sulphurea interna dolii cavitas suffumigetur; postea obturato ejusdem orificio usque vindemiam

asservetur. Si dolium pro detracto Vino condendo aptandum est, illud, antequam Vino repleatur, infuso ferventissimo Vino (pro dolio 10 Urnar. 8 aut 10 mediæ sumuntur) sæpius volutandum erit; ut omnes partes ejus aliquid accipiant, & Vinum interiora lignorum penetret; eapropter etiam illud 10 vel 12 horis in dolio relinquatur. Effuso dein fervente Vino, quod in acetum converti potest, dolium limpida, frigidaque aqua adhuc eluitur, &, postquam humor omnis effluxit, doliumque persiccatum est, accensa lamella sulphurata cavitas ejus suffumigatur, atque illico detracto Vino repletur.

Munditiem internam Doliorum explorandi Ratio.

Num dolia rite commundata, & ab omni, quæ Vina corrumpere posset, substantia depurata sint, sequenti cognoscitur experimento: Cereus accensus, & bacillo illigatus, cavitati dolii immittitur; si is læte arserit, probe purgati interne dolii indicium præbet, nullumque seu malignum odorem, seu exitialem vaporem, aeremque in dolio latere ostendit. Quodsi vero cerei flamma extincta fuerit, novam purgationem deposcit, præprimis si dolii talismodi usus Vindemiæ tempore fuerat.

De Sulphuratione Vini.

Cura servandorum Vinorum duas potissimum Operationes exigit. Sulphurationem videlicet, & eliquationem, seu defæcationem Vini. Sulphura e Vinum, est illud vaporibus combusti sulphuris imprægnare; ut debis

le Vinum meliorem saporem ad
 perennandum vires nanciscatur; generosum
 autem colorem suum constanter retineat. Fit
 istud succensis, & per orificium dolii in va-
 cuam ejus partem immissis angustis fasciis e
 tela, vel panno Xylino, qui *Barchent* vocatur,
 scissis, & liquato sulphuri iteratis vicibus in-
 tinctis, ac diversis penetrantis odoris aroma-
 tibus, floribus, seminibusque conspersis. Por-
 ro medicamentum hoc sulphuratum vel va-
 cuo dolio, ad quod dein Vinum detrahitur;
 vel eodem jam usque ad spithamalem ab ori-
 ficio distantiam repleto, contribuitur. In pri-
 mo casu accensa lamella sulphurata, quæ
 amplitudini dolii commensurata sit, per in-
 versum orificium in cavam dolii partem im-
 ponitur, eousque inibi servanda, donec pe-
 nitus comburatur; tum illico orificium ad
 præpediendum vaporis sulphurei egressum
 clauditur: in altero post combustam in parte
 dolii vacua fasciam sulphuratam, idem sine
 mora Vino ad summitatem usque repletur.
 Ita præparatis in doliis Vinum limpidum,
 grati gustus, & amœni odoris constanter per-
 manet, atque a mucidine, tenacitateque im-
 mune conservatur. Id tantum sollicite præ-
 cavendum, ne excessu medicaminis hujus
 peccetur. Nam sulphuratarum fasciarum ni-
 mio usu non modo ingrato sapore Vinum
 vitiat; sed & valetudini persæpe noxium
 efficitur.

Fascias sulphuratas, quarum supra me-
 minimus, varia est conficiendi ratio. In Con-

fractione earum præcipuam partem sulphur constituit, quem depurare oportet, priusquam operi adhibeatur. Quapropter nonnulli sulphur phialæ testaceæ impositum, subjecto igne liquefaciunt, liquidumque in frigidam transfundunt aquam: inde exceptum, priorem operationem binis adhuc vicibus repetunt. Alii comminutum in mortario sulphur ollæ ingerunt, atque copiosa aqua adobruunt; transmissa dein per cribrum subtilius mixtura, sulphureos pulveres persiccant. Sunt etiam, qui operosius depurationem sulphuris absolvunt: Nempe assumptis 3. Libr. sulphuris, has in sartagine ferrea, operculo instructa, liquefaciunt, succensa dein liquata massa eandem eousque ardere sinunt, donec octava circiter pars comburatur; tum clauso operculo flammam suffocant, & residuum destillato aceto infundunt; ut refrigeretur. Eandem operationem secundo, & tertio repetunt, eo tantum cum discrimine; quod tertia vice liquatum sulphur non transfundant amplius in acetum destillatum; verum illud post instillationem, & commixtionem semiunciæ olei Tartari cum aqua pluviali, quæ partem quoque aquæ rosacæ in se contineat, commisceant, atque in eadem refrigerescere permittant. Defusa deinde aqua, sulphur iterum in pura, limpidaque aqua eluitur; sicque pro parandis lamellis inflammabilibus asservatur.

Modi fascias sulphuratas parandi.

Inter diversos lamellas sulphuratas pro doliorum, Vinorumque suffumigatione confi-

ciendi modos duos tantum isthic adducemus. Primus est sequens: Accipiendæ sunt 6 semi-uncie sulphuris depurati, his igne liquatis fascia e tela, vel pano Xylino inungitur; tum eadem fascia, quamdiu adhuc sulphur liquidum est, conspergitur minutis pulveribus contusorum Caryophilerum, Zedoariæ (Kaempferia rotunda; Zuber) radicis violæ odoratæ (Bellchenwurz) Lentisci (Mastix) sicci storacis (Storax, Kalamit) Cardamomi, & radicis urticæ; e substantiarum harum qualibet semi-uncia una, ex ultima 6. sumuntur. Postea tela in frusta, aut lamellas arbitrariæ magnitudinis discinditur. Altera similes lamellas parandi ratio hæc est: Redigantur in subtilissimos pulveres 2. semi-unc. Amomi Zingiberi; Cardamomi; Cinnamomi; thuris albi; salis tartari; item 4. semi-unc. Anisi, & radicis violæ odoratæ. Pulveribus istis fasciolæ e tela eo momento conspergantur, quo per liquatum sulphur depuratum traducantur. Haud quoque oberit, si eadem lamellæ subinde forti cremato intingantur.

Globorum tormentariorum majoris molis interne cavorum, quos Bombas (Bombes) vocant, disruptio per aquam, vi nimii frigoris congelatam.

Dudum jam Physicis nota fuit vis aquæ, frigore magno in glaciem se expandentis, quæ tanta est; ut fortia etiam vasa, aqua repleta, obstructaque, si magno frigori exponantur, rumpi soleant; arbores ipsæ, succo suo vi nimii frigoris congelato, findantur;

fistulæ scloporum obstructæ, aqua in iis contenta in glaciem conversa, dirumpantur. &c. Utrum vero eandem vim glacies in metallica quoque cava corpora, quæ densitate sua violentæ ejusdem expansioni utcunque resistere posse videntur, exserat, nulla hæcenus experientia comprobatum legimus. Non ita pridem in quodam periodico Scripto Germaniæ sequens Factum referebatur: E munimento Herbipolitano (Würzburg) ante annos aliquot magna vis globorum tormentariorum antiquorum, & aliorum majoris molis, quos Bombas vulgo appellant, Michelstadium ad officinam ferrariam (Malleaturæ ferri; Eisenhammer) transfusionis faciendæ gratia devehebatur. Hos inter non pauci reperiebantur, qui ultra 600 ℔ appendebant, & e specie quadam ferri fusi tam solide compacti fuerant; ut nulla adhibita vi in frusta diffringi potuerint. Cum igitur globi hi omnem vim eluderent, nonnullos eorum rigida A. 1803 hyeme aqua repleverunt, obstructa sollicitè apertura, sperantes naturam ipsam violenta aquæ in glaciem abeuntis expansione id perfecturam, quod frustra viribus aliis efficere attentaverant. Comprobavit consilium eventus; siquidem increcente frigore, ac Mercurio in 17 infra O. Reaumuri gradu subsistente, tanta vehementia globi iidem diffracti fuerunt; ut frustra diametri 19 poll. Rhen. densitatis 35 lin. & ponderis 150 ℔ ad 10 passuum distantiam dissilierint, licet crusta glacialis crassitiæ 24 lin. non superaverit.